



Prot. N. 02710/2023-421/23/I

BEATISSIME PATER,

Ansgarius S.R.E. Card. Cantoni, Episcopus Comensis, reverenter exponit paroecialem SS. Martyrum Hippolyti et Cassiani communitatem de Olgeate Longobardorum, eiusdem Dioeceseos, centesimum celebraturam esse anniversarium ex quo consecrata est paroecialis ecclesia.

Ad hunc faustum eventum digne commemorandum, peculiare peragentur sacrae functiones et alia spiritalia incepta, ita ut christifideles, qui illuc accursuri quamplurimi praevidentur, sacramentis Paenitentiae atque SS. mae Eucharistiae proprias reficiant animas et sinceram accrescant devotionem erga caelestes Patronos.

Itaque Em. mus Orator, una cum Parocho praefatae Paroeciae, donum Indulgentiae pro peregrinis piisque visitantibus, a Sanctitate Tua fiducialiter implorat. Et Deus, etc.

Die XXVI Septembris MMXXIII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Sanctissimi Patris Francisci, plenariam libenter concedit Indulgentiam, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XIV Octobris MMXXIII usque ad diem XXVIII Ianuarii MMXXIV lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si paroecialem SS. Martyrum Hippolyti et Cassiani ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilariis ritibus devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Gerardi exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, in quadringentesimo anniversario eiusdem translationis, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis, Sancti Gerardi atque SS. Hippolyti et Cassiani.

Paroeciae fideles senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordiae Deo per Mariam SS. mam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiarum enixe rogat ut Parochus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilari templo, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per paroeciale iubilaeum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Maurus Card. Scauzza
Paenitentiarum Major*

Christophorus Nykiel